

1. Rappolti / Frid. / Diss. de Filia-
tione Renatorum, ex 1. Hoh. III. v. 2.
Lipsiæ, 1676.
2. Reime / Henr. / Gottlieb. / Diss. qua
Achariam Judæe Regem, Ætate
non majorem parente suo Juramento
sistit. Jenæ, 1714.
3. Reuter / Chr. / Diss. ДИКАЯМА ТОУ
НОМУУ in Christo et Christianis.
Serræstæ, 1716.
4. Richter / Dav. / Diss. considerans
pyriognomiam Sacerdotis, ex Lev.
XXI. v. 16. Jenæ, 1715.

27

ORDINIS THEOLOGORVM
IN
ACADEMIA VITTEMBERGENSI
DECANVS,
GOTTLIEB VVERNSDORFIVS,
S. THEOL. DOCTOR ET PROF. PVBL. AEDIS OO. SS.
PRAEPOSITVS, ET SENATVS ECCLESIASTICI
ASSESSOR,
*LECTORI BENEVOLO SALVTEM PLVRIMAM
DICIT,
EVNDEMQUE
AD AVDIENDAM ORATIONEM
VIRI
MAXIME REVERENDI, NOBILISSIMI, EXCELLEN-
TISSIMIQUE,*
**DN. ERNESTI MICHAELIS
BREHMII,**
SERENISSIMO DVCI SAXO - QVERFVRTHENSI
A CONFESSIONIBVS, CONSILIIIS ECCLESIASTICIS,
ET CONCIONIBVS IN AVLA PRIMARIIS,
CRASTINO DIE AB HORA IX
IN AVDITORIO THEOLOGICO,
PRIMORDII CAPIVNDI CAUSA, HABENDAM,
*QVANTA FIERI PAR EST, HINC OBSERVANTIA,
HINC HVMANITATE, INVITAT.*

an 26. 75

ACADEMIAE VITAE MERTENSIS
DECANVS
GOTTFRIDVS VON RABDORFVS
ASSessor
AD AVDIENDAM ORATIONEM
DR. MICHAELIS
URBANI





I qui fuerint, qui negent, Sanctu-
los nostri temporis revera id mo-
liri, & agere, ut sub specie pie-
tatis pietatem in exilium pellant,
veritatem autem e fundamentis
subruant, hos ad ea etiam atque
etiam considerata remiserim, quae iidem aduersus
Scripturae auctoritatem improbe, ac propalam,
machinantur. Cum enim haec non modo recte cre-
dendi, pieque vivendi regula, sed semen etiam divi-
num, subsidiumque sit; facile hinc apparet, nisi sua
illi accurate constet auctoritas, tum nec integrita-
tem doctrinae, nec vitae sanctimoniam, salvas esse
posse. Mirabitur vero, si qua est futura, posterita-
tas, ad eum impietatis gradum homines, Christia-
num nomen professos, eisdemque Ecclesiae docto-
res, ascendere potuisse, ut de nimia Scripturae ad-
miratione palam quiritarentur, & eos, qui de illa,
pro dignitate, & Spiritus Sancti arbitrio, sentirent,
religiosae cuiusdam idololatriae arguerent. Ac initio
quidem, quo laterent insidiae, res omnis arte quadam
tractata est. Nec enim primus in *Scripturam*, utut
haec petebatur, sed in libros Ecclesiarum nostrarum
Symbolicos, e Scriptura depromptos, impetus factus
est. *Spenerus* igitur, *novam*, ut ipsi loquuntur,
Status Ecclesiastici periodum a) orsurus, eos, & inter
A 2 buna-

a) Vid. praef. Testimonii Veritatis c. Langium p. 1.

*humanas traditiones b) rejecit, & quandam ipsis divinitatem tribui aegre tulit c), & numerum eorum multiplicari noluit d), & juratam ad eos obligationem laxavit, & e) coortis de religione contraversiis, crebrius, ac citius, ad eosdem, quam sacras literas, provocari, subinde questus fuit. Inde Joachimus Langius, t. t. Berolini, & in ipsis Speneri complexibus, haerens, scribere non dubitabat: *juste a Brecklingio accusatos fuisse Nostros, quod Aug. Confessionem, perinde ut olim Israelitae aeneum serpentem, in idolum converterent. Verbis enim Symbola juxta Scripturam, revera supra Scripturam collocari f).* Quibus quidem praeposteris, & supervacuis, querelis quum aliorum animi ad pejora etiam statuenda fuissent dispositi, titulo quidem, ut Scripturae auctoritatem affererent, re autem vera, ut, Symbolis de gradu deiectis, ipsam Scripturae existimationem everterent, coeperunt in libros Ecclesiarum nostrarum symbolicos horribiliter detornare, ac invehi. Arnoldus, in sua de Haeresibus fabula, invidioso *traditionum humanarum* convitio per-*

b) *Freyheit der Gläubigen* p. 3. c) *Übereinst. Art. prael. V. §. I. n. 1. p. 67.* d) *wider den Unsug c. II. n. 82. p. 144.* e) *wider den Unsug p. 144.* f) *T. II. Obf. 2. c. Unsich. Nachr. p. 33. Breckling hat recht, wenn er die Pseudo-Orthodoxos beschuldiget, daß sie die Augsp. Confession, wie die Israeliten die eberne Schlange, zu ihrem Abgott machen. Ib. Manche setzen sie mit Worten, dem Worte Gottes zur seiten, mit der That aber, gar über Gottes Wort, indem man sie zur Norm und Regul der Heil. Schrift machet. &c. Conf. T. I. Obf. n. XII.*

perpetuo proscindebat, & Augustanam imprimis Confessionem in coelum evehi, ac vel ipsis sacris literis anteferri, clamabat g). *Böhmius*, Pietista *VValdeccius*, nimiam Symbolorum admirationem *colorem esse* dicebat, *quo illa pingerentur glaucomata h)*. *Dippelius*, Seculi nostri non tam Democritus, quam *Lucianus*, ut omnia, ita Symbola etiam, tum vetera, tum recentiora, ridebat, illorumque ex numero *Athanasianum*, quod alioqui totus veneratur Christianus orbis, *Pedanticum; i)*, reliqua, *foetus Anti-Christi abortivos k)* vocabat, e recentioribus denique Augustanae Confessioni *diabolas inesse sententias*, furore diabolico scribebat l). Tali modo *Symbolis*, quae velut circumjectas veritatis munitiones, ac propugnacula, intuemur, everfis, & in contemptum, odiumque, adductis, nemine propemodum remorante, ad dejiciendam ipsius *Scripturae* auctoritatem progrediebantur. Ac nonnulli quidem *Scripturam* cum *baculo* quodam, & *sustentaculo*,

A 3

- g) Vid. P. II. L. XVI. c. XIX. n. II. f. 110. b. *was insgemein von ungebührlicher Erhebung der Symbolischen Bücher erzelet worden, geht vornehmlich die Augsp. Confession an & c. Conf. Celeb. D. Cyprrianus in Anmerck. über Arnoldi K. u. K. H. Vorb. p. 14. 23.*
- h) *Die allzugrosse Erhebung solcher Bücher ist die Farbe, womit man die Symbolische Bücher, als falsche Brillen, überstreicht. vid. Hist. Piet. Valdecc. P. II. p. 32. i) Vid. Schild der Wahrheit p. 35. Et im Gl. Bek. p. 18. die Auctores Symboli Athanasiani haben mit den Wörtern, Wesen und Personen, als Kerzerische Menschen, einen unnöthigen Lärmen in der orthodoxen Welt angerichtet.*
- k) l. c. cap. V. p. 55. l) in L. c. B. D. Mayerum, p. 26.

*taculo, quod, viribus ad ambulandum acceptis, abjici
 debeat, comparabant m). Alii, eandem literam mor-
 tuam nominando, quid intra se sentirent, procul
 ambagibus, aperiebant, quorum, si non opinio, sal-
 tem in opinando candor, laudari debet. Alii, quum
 hoc pacto totum prodi arcanum intelligerent, eadem
 sibi arte opus esse putabant, qua paulo ante in de-
 primendis symbolis non infeliciter usi fuerant, sci-
 licet, ut minuendae invidiae, & speciei conciliandae,
 causa, inciperent a *querelis*, ac initio solummodo
 studium prae se ferrent exorbitantes aliorum sen-
 tentias ad mediocritatem vocandi. Hac mente
 primo Scripturae sacrae *socium* quoddam *cognoscendi
 principium* assignabant, *Experientiam*, sic, ut nihil
 pro vero, rectoque agnoscerent, utut sacris e literis
 haustum esset, nisi experientia interna, sensuque,
 probatum esset. Divisa hoc pacto inter *Scriptu-
 ram*, & *Experientiam*, cognoscendi, ac decidendi
 auctoritate, etsi satis diminuta erat Scripturae digni-
 tas, tamen ut id etiam, quod de prisca majestate
 restabat, eriperent, coeperunt cum *Thomasio n)*,
Carolo o), *Arnoldo p)*, *Θεογεωγραφία* ad omnes vere
 pios*

m) Vid. Ausführl. Besch. des Pietist. Unfsugs p. 34. n. 57.

*n) in Disp. c. Carpz. de jure decid. controv. Halis 1701. p. 44. Alle
 Gläubige sind Θεογεωγραφία, ja niemand kan ohne Θεογεωγραφία die
 Heil. Schrift verstehen. Conf. U. N. Ao. 1702. p. 350.*

*o) i. e. Volckmeyero, c. Göz. p. 573. es kan wohl heut zu Tage
 jemand aus Göttlichem Eingeben schreiben.*

p) Vid. praef. ad Schröderi Post. von geist. Pred.

pios extendere, ut qui & Spiritum intus sedentem,
 & suggerentem ea, quae facta essent opus, habe-
 rent, & Numinis pleni, si scriberent, non minore,
 quam ipsi Prophetae, & Apostoli, virtute, animos
 hominum percellere, &, quo ipsi vellent, impellere
 possent. Quum non deessent, qui de Scripturis
 detrahi aegre ferrent, in eisdem, velut ineptos
 quosdam *γραμματεις*, *vocabularios*, ac *mere litera-*
les, *verbalesque Theologos*, scurrili dicacitate faevi-
 tum est. Tandem prodiit, qui portentosam nostris
Grammatolatriam objiceret, eandemque non solum
 inter *Barbariae* suae *arces*, a quibus sanae doctrinae
 defendendi sint limites, referret, sed &, ad testatio-
 rem rei memoriam, imaginem ejus aenea in tabula
 omnium oculis repraesentaret *q*). Equidem a vero
 multo alienissimum poterat videri, uno eodemque
 tempore, ejusdem coetus, ejusdemque religionis, do-
 ctiores, & *Symbola*, cum Scripturae injuria, contem-
 ptuque evehere, & simul *Scripturam* ipsam nimium
 colere, ac venerari posse. Ceterum, ut hoc tem-
 pore nihil tam est absoum, nihil usque adeo sibi-
 metipsi contrarium, ac pugnans, quin aliquando in-
 geniosa quorundam calumnia conjungat; sic etiam
 Nostri eodem tempore, & ab eodem Sanctulo, &
 tantum non in eodem libro, utriusque, & *Symbolo-*
latriae, & *Grammatolatriae*, iniquius dicam, an
 stolidius, sunt postulati. Quod si quis Nostrum
 Codi-

q) Vid. Joach. Langii *Anti-Barb.* T. I. in fronte.

Codicem Sacrum, ut Turcae Coranum suum, adorasset, vel ejus ad conspectum, ut Papistae ad monstratum a sacrificulo panem consecratum, genua flexisset, vel literis & characteribus vim quandam magicam adscripsisset, tum esset forte, cur istud nobis objiceretur crimen. Nunc, ubi a Nostriis nihil peccatum fuit, praeterquam quod ad sacras literas perpetuo provocarunt, & literalem sensum adversus sophisticas aliorum interpretationes urserunt, & haustam ex eodem notitiam, utut debitae applicationis expertem, veram, ac in se salutarem, dixerunt, & Experientiam, tanquam socium quoddam cognoscendi principium, Scripturae adjungendum esse negarunt, & Θεοπνευσίαν solis Prophetis, & Apostolis vindicarunt, denique divinam SS. literis virtutem, ac efficaciam inesse, docuerunt, quantae, rogo, indignitatis res est, viros nihil tale promeritos γραμματολατρείας, & religiosae cujusdam idololatriae, per contumeliam accusare? Etsi vero illam ad tempus dissimulavimus, nihilominus tamen in Celebris Thuringiae Urbe inventus est Antistes, qui Barbaris non modo applauderet, sed ista etiam calumnia Vittembergenses praecipue oneraret. Movit enim anno abhinc otiosam illam, & inutilem quaestionem: num Scriptura S. sit ipse Deus? r) Cujus proponendae uti ab initio nulli prorsus ratio apparebat, quod homines hac aetate ad verbum Dei con-

r) G. Nisch von der Frage: Ob die Heil. Schrift Gott selber sey?

contemnendum, quam nimis evehendum, sunt
 proniores; sic postquam ei sese Vir quidam integer,
 ac eruditus*) opposuit, tum demum suis in Vindiciis**) non
 semel prodidit Auctor, in quos maxime omnis
 illa cusa fuisset faba, nimirum Vittembergenses.
 Hos enim ideo *religiosae idololatriae* semel, iterum-
 que, ac saepius, accusat, quod sententiam in Deo
 conceptam, & ab eodem per verba significatam,
 eandem esse, *quoad rem*, statuunt, unionem quandam
 Spiritus cum verbo prodigiosam doceant, vim con-
 vertendi naturalem, infinitam tamen, eidem asse-
 rant, denique verbum Dei ipsummet esse Spiritum,
 cum *Deutschmanno*, contendant. Quibus quidem
 erroribus quum ipse subscribere non possit, &
 magnopere verendum sit, ne nimium verbo Dei
 scripto pretium statuatur, illius quaestionis evolu-
 tione superfedere sese non potuisse. Negat igitur,
 Scripturam S. mentem Domini dici posse, quod
 mens Dei a parte rei sit ipse Deus, & nihil sit in Deo,
 quod non sit ipse Deus. Scripturam vero, quippe
 creaturam, Creatorem dici non posse. Repraesentare
 quidem illam, & exprimere divinam mentem,
 sed ipsam Dei mentem non esse, nisi archetypum
 cum ectypo, & causam Principalem cum Instrumen-
 tali, confundere velimus. De unione quadam, cum
 Spiritu Sancto mystica, & operativa, qualem qui-
 dem statuunt Vittembergenses, sine horrore se co-
 B gita-

*) Dn. L. Knoblach. *in der Erörterung* &c.

**) Vid. Dn. G. Nitschii *ausführliche Antwort* &c. *inpr. p. 60. 61. 64.*
 65. 80. 122.

gitare non posse, quum dignitatem hypostaticae laedat. Neque etiam vim & efficaciam convertendi verbo naturaliter, quum in regno gratiae nihil fingi debeat naturale, sed ex libera Dei ordinatione inesse, eandemque non infinitam, sed finitam, & creatam, eaque de causa a Spiritu, tanquam causa principali, non modo qua literas, sed sensum etiam, elevandam esse. *) Haec est dissentientis de verbo Dei sententia breviter, summatimque, proposita. In qua uti nihil inest, quod non a *Rathmanno*, *Morioque*, petitur, a Nostris autem, magno Ecclesiae consensu, pridem, ac saepius, sit rejectum; ita ne impune illa velut ab inferis excitarit, is, cui nominatum ista sunt opposita, simul ac per negotia licebit, sua pro dexteritate efficiet. Nobis autem in praesenti suffecerit, ea, quae extantiora sunt, & ad nos propius pertinent, breviter ac summatim, notare potius, quam discutere, in eoque vel unius *Calovii* nos auctoritate tueri, quo pateat, acceptae a Majoribus doctrinae nos inhaerere, veteribusque telis vetera arma opponere didicisse. Quod igitur ad *idololatriam*, toties nobis imputatam, spectat, vetus isthaec calumnia est, & vel a *Sebastiano Franckio*, f) *Rathmannoque*, t) mutuo sumpta, a
Dip-

*) Vid. Nitsch. l. c. p. 96. 97. 98. III.

f) Viel machen izt einen Abgott aus der Schrift &c. Seb. Francke Ketzer - Chron. f. 84. item: wir heben die Schrift schier über Gott, ja machen aus dem tödtenden Buchstaben einen Abgott, ib. f. 93. b.

t) Es wird eine neue Abgötterey eingeführet, wenn die Schrift vor die Dinge selbst, davon sie zeuget, ausgegeben wird. c. D. Dietericum p. 85. n. 41. Et p. 30. scribit: Er habe diese Blindheit ein

Dippelio u) autem, Volckmeyero x), & aliis repetita. Nec enim nunc magis quenquam fcimus, qui Deum, & Scripturam, habeat pro iisdem, quam Majores nostri, quo tempore contra Rathmannum disputabant, poterant meminisse y). Divi saltem *Deutschmanni* verba non est cur nobis, toties, & tam infeste, objiciat. Doctior erat veteranus ille Theologus, idemque incomparabilis *Calovii* & gener, & discipulus, quam qui nesciret, inter Spiritum, & Scripturam a Spiritu profectam, aliquid discriminis intercedere. Quid autem voluerit sibi verbis toties nobis exprobratis z), id, etsi scopus scribentis insinuet, tamen & ipse suis *in Vindiciis a)* tanquam

B 2

ver-

wenig zeigen wollen, da etliche Scribenten grob ausplätzen, und vorgeben, die Schrift sey nicht allein ein Zeichen des göttlichen Wissens, sondern sey dasselbige, davon sie zeuget, welche Reden NB. eine Abgötterey einführen.

- u) Es scheint, daß du die Schrift so hoch hältst, daß du darüber auch Gott und Christum selbst vergiffest, und so wird dir die Schrift zu einem Götzen, der nur dienet, dich weiter von Gott abzuführen. Dippel c. Mayerum. p. 23. x) Viel eitle Schriftgelehrten haben die Schrift in allzugroßes Ansehen gebracht; Sie GOTT selbst an die Seite gesetzt, und einen rechten Götzen daraus gemacht. c. Dn Göz. Rect. Ofnabr. p. 573.
- y) Vid. Resp. Theol. Vittemb. c. Rathm. ap. Dedek. in App. f. 19e.
- z) Das Wort GOTTES ist nicht allein aus dem Heil. Geist, sondern auch allezeit in dem Geist, ja der Geist selbst. Jo. VI. 63. Vid Christ-Luth. Vorstell. A. IV. 9. 4. p. 38. a) Vid. Antwort und Rettung, Art. IV. 9. 4. p. 240. Es ist keine Beysorge, wenn wir die Worte Christi schlecht und gerecht, wie sie Job. oder vielmehr der H. Geist, uns vorgeschrieben, mit einfältigen Glauben annehmen, daß man deswegen in die Gedancken kommen müsse, die geredete Worte, nach ihrem absonderlichen Zustand, vor den H. Geist selbst zu halten. Denn ein anders ist ein jedes absonderlich, ein anders

verborum suorum optimus doctissimusque interpres, perspicue aperuit. Hoc unum quippe ostendere voluit, si Scriptura non in abstracto, ut *Scriptura*, sed in concreto, ut *Divina*, & *Sacra*, consideretur, eam nunquam separatam esse a Spiritu. Verbum enim & Spiritum unum quasi esse compositum, cum Spiritus verbo suo perpetuo coexistat, ac in eodem loquatur, ex eoque *respiret*, verba vero, & literae, ab eo spiritu, ac vita, veluti animentur. Uti vero propterea, quod Christus olim negabat, Apostolos *ipsos*, tempore Confessionis, loqui, sed *Spiritum Patris in iis*, & *per illos*, loqui *b)*, vel etiam Ananias, *mentiens Petro*, per quem Spiritus loquebatur, *ipsi Spiritui Sancto* mentitus esse dicitur, *c)*, non sequitur, vel Apostolos pro ipso Spiritu Sancto fuisse habitos, vel etiam Petrum semetipsum reputasse pro Spiritu; ita etiam ex eo, quod pia memoriae Theologus verba Christi ob arctissimam eorum cum Spiritu S. conjunctionem, *ipsummet Spiritum* esse dixit, non est inferendum, quod Scripturam pro ipso Spiritu S. habuerit, eoque ipso indignam sua persona *idololatriam* commiserit. Saltem ejus in Declaratione, quam subjeci, nec *Spenerus*, nec

Spe-

alles nach Offenbarung der H. Schrift NB. zusammen consideriren;
Das erste dichtet unser Gegener abermahls, da doch von dem andern hier soll, und muß gehandelt werden. Verbum, & Spiritus
sunt unum: Geist und Wort, oder Wort und Geist, ist eins, wie
insgemein gesagt wird: Verbum est vehiculum Spiritus. &c.

b) Matth. X, 20. c) Act. V, 5.

Speneriani, vivo ac superstite illo, & ad hoc usque tempus, adeoque viginti prope annis, quicquam desiderarunt. Unde adeo in mentem nobis venit mirari, cur nunc demum, *Deutschmanno* pridem mortuo, surgat auctoritatis divinae praeposterus vindex, qui verba Senis Theologi *idololatriam Scripturariam*, & in Numinis majestatem injuriam, sapere tam praefidenter affirmet, eademque, pro incrustanda sua calumnia, omnibus prope paginis repetat, ac inculcet *d*). At, inquiet, *est tamen in DEVM injurium, & prorsus idololatricum, id, quod mentem DEI solummodo repraesentat, & exprimit, ipsam DEI mentem vocare.* Idem vero quondam incrustandae calumniae causa, Orthodoxis objiciebat *Rathmannus*. Cui tum temporis rectissime respondebat *Calovius*: *Verbum in DEO internum, seu DEI mentem, qua rem, nihil differre, a verbo externo, & a DEO per literas patefacto. e*). Quum enim ne hominis quidem verbum aliud quid sit, qua rem, quam illius de re quadam concepta sententia, certe aut id erit negandum, Scripturam esse *Dei verbum*, aut concedendum, eandem esse *mentem*, sententiamque divinam. Neque vero non hoc sibimetipsum tribuit Scriptura. Quando enim Apostolus, vel Ephesius sese *πᾶσαν βελῆν τῆς θεῆς* *f*) aperuisse dicit, vel seipsum *v̄sv*, ac *mentem Domini*,

B 3 *habere*

d) Vid. p. 42. 82. 88. 93. 112. *e*) T. I. Syst. p. 701.

f) A^o. XX, 27.

habere contendit, g) quid aliud, rogo, vel voluntatis, vel mentis, nomine, quam verbum Dei, a se nunc ore, nunc scripto revelatum, intelligit, quum εδὲν ἐκτὸς τῶν προφητῶν se docuisse ostendat? h) Equidem hic cum Rathmanno urgetur: Mentem DEI, a parte rei, Deum ipsum esse; quum nihil sit in Deo, quod non sit ipse Deus. Scripturam igitur mentem Domini dici non posse, nisi eandem reputare velimus pro ipso Deo, & hoc pacto idololatriam committere. Verum nos cum Calovio monemus, primo, non omne, quod est in Deo, esse totam essentiam divinam, vel etiam personam. Decreta enim & consilia, sunt in DEO, nec tamen sunt personae i). Sacrae literae sunt τὰ τῆς θεᾶς k), &, ut nonnulli loquuntur, aliquid Dei, non tamen ipse Deus l). Deinceps accurate videndum est, quo sensu, & Scriptura, & mens Domini, hoc loco accipiantur. Scriptura enim nonnunquam sumitur incomplexe, adeoque vel materialiter, pro literis, vocibusque solum, vel formaliter, pro re significata solum: nonnunquam vero complexe, pro literis & sententia per literas significata simul. Mens vero, seu v̄s Domini, vel sumitur attributive, pro intellectu divino, & sic a parte rei est ipse Deus, seu ipsa essentia divina, sed inadaequate accepta, prout concipitur a nobis ut cogitans, quoniam Deus non, uti creaturae, per signa, & ima-

g) 1. Cor. II. ult. h) Aq. XXVI, 23. i) 1. c. p. 702. k) 1. Cor. II. II. l) Calov. in Syst. T. I. p. 717.

imagines in mente formatas, sed per seipsum cogitat; vel sumitur effective, & formaliter, pro verbo interno, in mente formato, quod est in Deo, & nihil aliud est, quam cogitatio, consilium, vel conceptus divinus, de rebus divinis, cum hominibus deinceps quocunque modo communicandus. Jam quando Scriptura mens, & sententia, *ὄψις, καὶ βελή τῆς Θεᾶς*, dicitur, facile apparet, *Scripturam* non tam materialiter, quam formaliter, accipi: *mentis* autem divinae nomine non venire intellectum, vel attributum quoddam in Deo, vel ipsammet essentiam divinam de mysteriis cogitantem, sed consilium, a Deo de salute nostra conceptum, vel cogitationes a Deo de salvandis hominibus ab aeterno susceptae, quae prout mediantibus literis nobiscum communicatae fuerunt in tempore; sic totam Scripturae naturam exhauriunt, eandemque in esse completo, ac definitivo, constituunt. Quis hic somniet reale aliquod discrimen inter cogitationem, vel sententiam, quatenus est *in Deo concepta*, & eandem, quatenus est *a Deo per Verbum*, vel vocale, vel scriptum, hominibus *patefacta*? Nam quum ipse Vindicias suas moliretur Dissentiens, non equidem credo, illum ideas, conceptusque formales, suo e cerebro transulisse in chartas: quia tamen eadem illa, quae cogitavit, animoque concepit, significavit nobis per literas, hinc, velimus, nolimus, credendum est, eandem esse, qua rem, sententiam, quam & mente

con-

concepit, quum scriberet, & quam scribendo deinceps nobiscum communicavit. Quod quum de cogitationibus, sententiisque humanis, verissimum sit, cur non idem valuerit de consiliis, conceptibusque divinis? Bene haec Celebris quondam Jenensium Theologus, *Bechmannus m)*: *Scriptura cum Verbum Dei dicitur, sensus est: Scripturam S. esse ipsas sententias, ipsas doctrinas, quas Deus non solum ab aeterno intellectu suo concepit, sed etiam in tempore hominibus per certa signa & verba revelavit.* Excipit hic illud Dissentiens: *Mentem Domini solum repraesentari in Scriptura, eam igitur mentem ipsam esse, vel nominari non posse, quum archetypon & ectypon necessario differant.* Nolo autem hic invidiose exprobrare Dissidenti, quam frigide id ipsum probarit. Redditurus enim causam, cur archetypon, & ectypon, *realiter* differant, respondet, quia illud sit *originale*, hoc *copia n)*. Quod revera est, idem per idem demonstrare. Nec enim vel minima ratione assequi possum, quid inter archetypon & *originale*, ectypon & *copiam*, discriminis intercedat. Sed mitto ista, & illud unice urgeo, male dissentienti persuasum esse, quod *repraesentatio* sententiae, ac mentis, sententiam ipsam multiplicet, ac mutet. Repraesentatio enim, quocunque signo fiat, sententiae accidit: *Accidens vero*

m) In annot. ad Comp. Hutteri §. 1. p. 5.

n) l. c. p. 65.

vero non mutat Substantiam, ut recte monet Calovius o). Tum vero repraesentatio fit per verba, & literas, vel alia quaedam signa. Atqui non dicimus, verba & literas, *in se* spectatas, & *abstractive* sumptas, esse ipsam mentem, sententiamque Dei, sed solum verbis, literisque, expressam *sententiam*. *Modalis ergo hic tantum differentia est, quae rem non multiplicat, sed modificat*, ut denuo rem decidit Calovius. *) Cave cum Rathmanno excipias: *Scripturae nomine id praecipue, quod scribitur*, id est, voces, & literas, *intelligi oportere*. Hac enim in quaestione Scripturam non *materialiter*, qua literas & syllabas, sed *formaliter*, qua sensum divinum spectari, & pridem monuit Calovius p), & nos ex eodem supra docuimus. Sed porro evincendae, cujus arguimur, *idololatriae* ergo, affertur: *Unionem quandam a nobis inter Scripturam, & inter Spiritum statui, eandemque ad instar Unionis hypostaticae concipi, ex quo denuo pateat, velle nos Scripturam deificare*. Respondeo: Scripturam *aliquid Dei*, Deique *mentem*, esse, nec modo Spiritum in Scriptura loqui, sed & Scripturam *Spiritum ipsum* dici, negari nequit. Quia vero nec, quod Dei est, abesse a Deo potest, nec, *qui loquitur*, ab eo, *quod loquitur*, excludi potest, nec, *qui sentit*, & *cogitat*, a sua ipsius mente, ac *sententia*, exulare potest, merito hinc infertur, Spiritum perpetuo adesse, &

C

ut

o) In Synopsi Controv. p. 589. *) T. I. Syst. p. 702. p) in Syn. p. 587.

ut *Hunnius* loquitur, *coexistere* suo verbo, eidemque vim suam, & virtutem, etiam infinitam, & aeternam, communicare, verbum autem ex eo una cum Spiritu ad communes operationes, perinde ut utraque natura in Christo ad officia peragenda, vi efficaciae secum communicatae, concurrere. Quid jam huic declarationi *horribile* inest? Num horribile est, unum unionis genus ad illustrationem alterius adhibere? Inter naturalem, & personalem unionem, procul dubio majus est discrimen, quam inter ὑποστατικὴν & ἐνεργητικὴν: Veteres tamen propterea non sunt veriti, unam per alteram declarare. Ut ut igitur soleant Nostri arctissimam, quae inter Verbum & Spiritum intercedit, conjunctionem aliquando conferre cum personali, hoc tamen nec ad dignitatem hujus imminuendam, nec ad impingendam illis idololatriam, temere est trahendum. Utinam modo Dissentiens pari facilitate, ac jure, posset a *fanatico Scripturae contemptu*, quam Vittembergenses, a praepostera illius admiratione, & *Grammatolatria*, absolvi! Sed enim vero, ut ut videri velit, Verbo non solum *objectivam*, sed & *subjectivam*, efficaciam tribuere, eandemque non modo in usu, sed & extra usum, agnoscere, denique Spiritum S. a verbo minime separare, revera tamen *Rathmanni*, *Movii*que, erroribus est infectus. Fingit enim *reale* aliquod discrimen inter mentem DEI, seu verbum internum, & Scripturam S. seu verbum exter-

externum, contenditque, Scripturam esse merum aliquod *instrumentum*, quod elevatione indigeat, & sine accedente Spiritu S. nihil possit. Unde & eidem vim mere *creatam*, ac *finitam* relinquit, ac denique vim regenerandi, & salvandi eidem, etiam formaliter sumptae, per se, ac *naturaliter*, inesse, pertinacissime negat. Quae omnia pios Majores nostros, ac sigillatim *Calovium*, in *Rathmanno*, ac *Movio*, improbasse meminimus. Verum de his alio loco, & ab aliis, propediem, copiosius, & accuratius, disputabitur. Nos autem Coetui nostro toto pectore gratulamur, quod DEVS eidem restare voluit Viros, auctoritate, meritis, doctrinaque graves, qui tum in Aulis, tum in Academiis, veritatem, a novaturientium importunis cavillationibus defendant, eandemque ad posteros illibatam transmittant. Quorum in numero locum vel praecipuum sibi vindicat is, cujus gratia haec praemisimus, honorum Theologicorum Amplissimus Candidatus, Vir nimirum *Maxime Reverendus, Nobilissimus, Excellentissimusque*, Dn. Ernestus Michael Brehmius, *Serenissimo Duci Saxo-Querfurtensi a Confessionibus, Consilii Ecclesiasticis, & Concionibus in Aula primariis*, cujus de vita, more majorum, nunc exponemus. Natus nimirum est anno seculi superioris *sexto, & sexagesimo*, die X. Octobris, *Frobnordisii*, quod oppidulum est antiquitus in Clientela Dynastarum de *VVerthern*, e quibus hoc tempore Illustrissimus

Comes GEORGIVS, Amicis Augustissimi Polonia-
rum REGIS, pridem adscriptus, & in Secretissimum
etiam Senatum cooptratus, & multis intra, & extra
Germaniam, legationibus felicissime perfunctus,
omnem Majorum gloriam meritorum suorum copia,
& magnitudine, superat, ac indies tum altius eni-
tatur, tum clarius exsplendescit. Patrem habuit *Jo.
Christianum Brehmium*, Ecclesiae Frohdorfiensis
Cantorem, Matrem *Annam Elisabetham Perlin.*
Illum cum amisisset puer, & spes emergendi vix
ulla superesset, Matris suae precibus, ac lacrymis,
in ipso infortuniorum aestu, velut rore quodam, ut
verbis Amplissimi Candidati utar, refectus est.
Quum paululum adolevisset, *Erfurthum* se con-
tulit, *Germaniae* quondam, Lutheri iudicio, *Para-
disum*, qua in urbe, quum alioqui, unde viveret, non
haberet, arte, quam non parum callebat, Musica,
multorum sibi studia, & voluntates, conciliavit.
Imminebat tum temporis Urbi, & amplissimae, &
populosissimae, periculum a peste, quae hinc inde
per Germaniam grassabatur, ipsumque adeo Erphur-
thum non ita multo post invasit, ac prope ad soli-
tudinem reduxit. Singularem tamen Numinis provi-
dentia factum est, ut tempestive illi sese subduceret,
Ordusiumque delatus, non modo a *Spindlero*, qui
Oppidanam scholam feliciter gubernabat, fideliter
institueretur, sed & liberalibus incolentium hospitii
uteretur. Nec tamen potuit a Charitate Erphor-
diae,

diae, ob amoenitatem loci, & Civium in exteros
beneficentiam, recedere. Huc igitur, quum defaevif-
set peltis, Ordrufio remigravit, & initio per bien-
nium Gymnasio Alumnum, hinc Academiae Civem
dedit. Quumque studiorum sapientiae amore po-
tissimum duceretur, praecipue se applicuit ad *Vol-
lenbaupium*, qui eandem t. t. non sine celebritate
nominis, ea in Academia docebat. Progressurus
vero ad Sacra, minorem, quam pro voluntate, oc-
casionem in iis proficiendi, superesse sibi Erphur-
thi intellexit. Jenam igitur abiit, ibidemque ali-
quandiu substitit, non facile discessurus, ni res an-
gusta domi, & individua prope bonorum ingenio-
rum comes, paupertas, eum, ut Erphurthum repe-
teret, compulisset. Tunc igitur ultimam quasi
manum admovit studio, cui se totum dederat,
Theologico, ope, curaque, *M. Jacobi*, in aede
Mercatorum Ecclesiastae, qui idem in Gymnasio
docebat. Exin coepit munia publica circumspicere,
cumque illi, in ipsis Natalitiis Sanctissimi Servatoris,
offerretur gubernatio *Scholae ad aedem Michaëlis
Archangeli*, paruit nutui divino, conditionemque
accepit. Neque tamen Deus eum diu in pulvere
scholastico sudare voluit. Anno enim vix elapso,
reversis in Orbem natalitiis, ad Sacerdotium *Straus-
furthi* obeundum vocatus est, quod etiam quinque
annis integra fide gessit. Tantus vero fuit Nostri
in Erphurthenses amor, ut *Lauream Philosophicam*

alia quadam in Academia, imponi sibi nollet. Vix autem his maceratus erat honoribus, quum ei, nec petenti, nec expectanti, nova munia offerrentur a Magistratu *Longo-Saliffae*. Noluit refragari voluntati divinae, Sacerdotioque, quod huc dum obierat, Strausfurthenfi, cum *Diaconatu ad Aedem Divi Bonifacii*, ea in Urbe, commutato, docuit ibidem novem, & amplius, annos, nec sine fructu, nec sine magna nominis sui fama. Quae cum tandem ad aures *Serenissimi* Principis, ac Domini, Domini JO. GEORGII, *Ducis Saxoniae, Juliae, Cliviae, Montium, Angriae & Westphaliae &c.* qui sedem Leucopetrae habebat, & paucis abhinc annis vitam cum morte commutavit, venisset, eundem accersivit in Aulam, & concionantem cupidissime audivit, seque ad Aquas Emsianas, valetudinis ergo, semel, iterumque, ac tertium, euntem, quasi ejus opera, praesentiaque, carere non posset, comitari iussit. Mortuo deinceps *D. Ständero*, Theologo cordato, erudito, ac gravi, qui ea in Urbe Antistitis partes multis annis ornaverat, parum abfuit, quin remigraret *Saliffam*, cum quidem ei Sacerdotium in Urbe primarium, a Senatu, oppidanarum vero, & vicinarum Ecclesiarum inspectio, a Principe, offerretur. Noster enim, qui dudum inter strepitus aulicos pristinam quietem, & otium requisiverat, velut e fluctibus, quibus jactatus fuerat, in portum se recipere ipse cupiebat. Sed multo amplioribus muniis destinatus erat a Deo, qui,

qui, ut omnium hominum, sic maxime Principum Virorum, voluntates, ac studia, moderatur pro lubitu, ac inclinatur. Post obitum igitur Divi *Jo. Aug. Olearii*, Doctoris Theologi, tum sanae doctrinae tenacissimi, tum aetate, meritisque, gravissimi, qui ad id usque tempus Serenissimo Principi a *Confessionibus, Consiliis Ecclesiasticis, & Concionibus in Aula primariis*, fuerat, hunc quidem suae erga Saliffenses, in concedendo illis Brehmio, indulgentiae non obscure poenituit. Primo igitur discessum suum in aliud tempus rejicere, mox in Aula manere, tandem *Serenissimo Duci* a Sacris esse, omnino jussus fuit. Quibus quidem amplissimis, sanctissimisque, partibus, quanta dexteritate, industriaque, ac fide, perfunctus fuerit, hinc patet, quod non solum HERVS Ejus, dum vixit, indies suam ei gratiam luculentius declaravit, sed & Eodem praematura, nec satis unquam dolenda, morte abrepto, quam Fratri Frater succederet, *Serenissimus Princeps, ac Dominus, Dominus CHRISTIANVS, Dux Saxoniae, Juliae, Cliviae, Montium, Angriae & Westphaliae, Landgravius Thuringiae, Marchio Misniae, & utriusque Lusatiae, Principali dignitate Comes Hennebergicus, Comes Marcae, Ravenssteini, & Barby, Dominus in Ravensstein, & cetera*, Brehmium Nostrum eodem apud se numero, locoque esse voluit, gratiaque ingenti, nec unquam interrupta, respexit. Hinc & omnes, quibus olim Divus *Olearius* gavifus erat,

erat, *titulos*, superiore anno in Eundem congeffit,
&, ne quid, quod ad Eundem quoquomodo ornand-
um, facturum videbatur, deesset, Summos in Theo-
logia Honores, & in hac quidem Academia, cape-
sere illum iussit, negotiique ex voto conficiendi ergo,
literis multa gratiae significatione conditis, Collegio
nostro clementissime commendavit. De quo uti
huic Almae Matri, nostroque inprimis Ordini,
magnopere gratulamur; sic, ut institutum DEVS
fortunet, ac felix esse jubeat, religiose precamur!
Crastino igitur die, ab hora IX. edendorum speci-
minum ingredietur Cursum, & rarioris argumenti
Orationem, de Quaestione: *An hoc tempore certi
homines in Americam, ad convertendos non-Christia-
nos, mittendi sint?* e Divi Lutheri Cathedra recitabit.
Cui audiendae ut *Magnificus Academiae Pro-Rector*,
Patres item *Conscripti*, ceterique *omnium Ordinum
Doctores*, una cum *Venerandis Ecclesiae oppidanae
Ministris*, *Collegio Philosophorum Adscriptis*, omni-
bus denique *literatis*, ac *literarum fautoribus*,
interesse dignentur, meo, & Collegarum nomine,
quanta decet observantia, & humanitate, con-
tendo. P. P. Dom. XIV. post Trin.
A. R. S. clō 16 CC XV.

VITTEMBERGAE
EX OFFICINA VIDVAE GERDESIANAЕ.

94 A 7345




88


94 A 7345

VD 17

HL 95







4
27

ORDINIS THEOLOGORVM
IN
ACADEMIA VITTEMBERGENSI
DECANVS,
GOTTLIEB VVERNSDORFIVS,
S. THEOL. DOCTOR ET PROF. PVBL. AEDIS OO. SS.
PRAEPOSITVS, ET SENATVS ECCLESIASTICI
ASSESSOR,
*LECTORI BENEVOLO SALVTEM PLVRIMAM
DICIT,
EVNDEMQUE
AD AVDIENDAM ORATIONEM
VIRI
MAXIME REVERENDI, NOBILISSIMI, EXCELLEN-
TISSIMIQUE,
DN. ERNESTI MICHAELIS
BREHMII,*
SERENISSIMO DVCI SAXO - QVERFVRTHENSI
A CONFESSIONIBVS, CONSILIIIS ECCLESIASTICIS,
ET CONCIONIBVS IN AVLA PRIMARIIS,
CRASTINO DIE AB HORA IX
IN AVDITORIO THEOLOGICO,
PRIMORDII CAPIVNDI CAVSA, HABENDAM,
*QVANTA FIERI PAR EST, HINC OBSERVANTIA,
HINC HVMANITATE, INVITAT.*

an 26 15